

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 27. Praesentiae Dei utilitas

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

via Christianæ perfectionis proficiunt, quia videlicet præpostero cursu ambulantes, tunc se maximè progredi putant, cum plura quamvis remissè & segniter operantur; cum potius eniti debeant, ut ea quæ agunt, ferventius in dies & perfectius peragant; in hoc enim operandi modo perfectionis incrementum consistit, non in tepida operum congerie & multiplicatione. Alii verò parum operantur & in amore Dei plurimùm crescunt, quia quæcunque faciunt, etsi minima & pauca sint, majori semper fervore, ac puriori intentione perficere student; atque ita se gerunt in omnibus operibus suis, ut in fine singulorum magnum illud verbum Christi in cruce pendentis non immitò usurpare queant, *Consummatum est, Ioan. 19. 30.* Perfeci quod Deus à me in hoc opere exigebat, ferventer & quantum imbecillitas mea cognovit & potuit, sine imperfectione, quantum scilicet & velle & operari ille dedid mihi, qui dixit, *Sine me nihil potestis facere. Ioan. 15. 5.* Eadem ratione sic quamlibet diem transigunt, ut nocte adveniente possint fiderter dicere, *Consummatum est.* Sic denique vitam instituunt, ut ejus cursu peracto, verè affirmare queant se omnia consummasse, quæ Deus illis præceperat. Qui sic vivit, Christianè vivit, nec timebit in die mala.

### §. XXVII. Præsentia Dei utilitas.

**N**Ullum præstantius documentum ad quælibet opera exactè perficienda, quam Deum in singulis rebus intimè præsentem intueri, qui eis motum & vitam & esse largitur, & omnia in omnibus operatur. Hæc nobis necessitas indicta est, omnia opera nostra optimè peragendi, quia Dei obtutum intimos quoque recessus penetrantem effugere nunquam valemus. Ipse nos replet, in quo vivimus, movemur & sumus; nec unquam nos deserit, nisi ab ipso aversi ad creaturas convertamur. Hæc autem sunt veteris Adæ corrupta semina: quæ in nobis vigent, prava scilicet affectio ad sensuum illecebras, quibus à Dei præ-

N ij

sentia mens evocatur. Si enim ab amore creaturarum liberi essemus, Deum proculdubio in omni loco præsentem cerneremus, quemadmodum Christus spopondit dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matt. 5.8. Verè magna & inexplicabilis est multitudo divinæ dulcedinis, quam Deus abscondit timentibus se; sed revera abscondita est & illi soli eam percipiunt, qui vident & gustant quām dulcis est Dominus. Neque enim satis est habere thesaurum, ut quis dives sit, sed scire insuper debet se illum possidere, ejusque pretium & usum agnoscere. Nos autem in nobis thesaurum habemus immensum & inæstimabilis pretii, summum & infinitum bonum: cur ipsum negligimus & post atomos apparentium bonorum currimus, quæ sitim nostram explere non possunt? *Elii hominum usquequo gravi corde;* *Vt quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium;* Psal. 4.3. cùm Deo præsente omni momento frui possitis? Divites sumus & nescimus. Beatorum spirituum felicitatem prægustare possumus & non curamus: quia nimirum parti inferiori, ac sensibus jugis Dei præsentia molesta & gravis est, & vim quam patiuntur, conantur excutere & partem superiorem ad se trahere. Et quia divina consolatio aliquando subtrahitur, ad terrenam protinus labimur, nisi per fidem Deum præsentem intueri & cum eo intimo affectu miscere colloquia satagamus. Hoc documento ipsemet Deus patrem credentium Abrahamum ad perfectionem erudit dicens: *Ambula coram me & esto perfectus.* Gen. 17.1. David quoque in Psalmo ait: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, propter hoc latatum est cor meum.* Ps. 15.8. Jugi enim lætitia fruitur, qui fontem omnium bonorum præsentem habet.

#### §. XXVIII. Cur difficultis videatur Sanctorum imitatio.

**A**D exempla Sanctorum vitam, mores & actiones nostras componere difficultimum arbitramur, quia ipso mente concipimus quasi homines alterius naturæ,